



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtru[m] possit dimitti sine gratiæ infusione? 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38725**

*Utrum ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratia infusio?*

533

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratia infusio. Effectus enim non est sine propria causa. Sed propria causa remissionis peccatorum est gratia: non enim ex meritis proprijs peccata hominis remittuntur. Unde dicitur Ephes. 2. Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia saluati estis: Ergo peccata venialia non remittuntur sine gratia infusione.

*sup. q. 65.  
a. 2. ad 8  
& infra  
presen. q.  
a. 3. co. et  
a. 4. ad 2  
et 4. d. 16  
q. 2. et a.  
2. qd. 1.  
mal. q. 7.  
a. 11. cor.*

¶ 2 Præterea, Peccata venialia non remittuntur sine poenitentia, sed in poenitentia infunditur gratia, sicut & in alijs sacramentis nouæ legis. Ergo peccata venialia non remittuntur sine gratia infusione.

*& ad 14  
et a. 12. c.  
& ad 1.*

¶ 3 Præterea, Peccatum veniale maculam quandam animæ infert. Sed macula non aufertur nisi per gratiam, quæ est spiritualis animæ decor. Ergo videtur, quod peccata venialia non dimittantur sine gratia infusione.

**S**ED contra est, quod peccatum veniale adueniens, non tollit gratiam, neque etiam diminuit eam, ut in secunda parte habitum est †. Ergo pari ratione ad hoc, quod peccatum veniale remittatur, non requiritur nouæ gratia infusio.

*2. 2. q. 24.  
ar. 10.*

**R**ESPONDEO dicendum, quod vnumquodque tollitur per suum oppositum. Peccatum autem veniale non contrariatur habituali gratia vel charitati, sed retardat actum eius, in quantum nimis inhæret homo bono creato, licet non contra Deum: ut in secunda parte habitum est \*. Et ideo ad hoc quod peccatum veniale tollatur, non requiritur quod infundatur aliqua habitualis gratia: sed sufficit aliquis motus gratia vel charitatis ad eius remissionem. Quia tamen in habentibus vsum liberi arbitrij, in quibus

*2. 2. q. 88  
a. 1. et in  
q. 24. ar.  
10.*

folis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiæ sine actuadi motu liberi arbitrij in Deum & in peccatum; ideo quandocumque de nouo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur.

Ad primum ergo dicendum, quòd etiam remissio peccatorum venialium est effectus gratiæ, per actum scilicet, quem de nouo elicit: non autem per aliquid habituale de nouo animæ infusum.

Ad secundum dicendum, quòd peccatum veniale nunquam remittitur sine aliquali actu pœnitentiæ virtutis, explicito scilicet vel implicito: vt supra dictum est \*. Poteft tamen remitti peccatum veniale sine pœnitentiæ sacramento, quod in absolutione sacerdotis formaliter perficitur: vt supra \* dictum est. Et ideo non sequitur, qd ad remissionem venialis peccati requiratur gratiæ infusio: quæ licet fit in quolibet sacramento, non tñ est in quolibet actu virtutis.

Ad tertium dicendum, quòd sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter: vno modo per priuationem eius, quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris, aut debitiæ proportionis membrorum: alio modo per superinductionem alicuius impediētis decorem, puta luti aut pulueris: Ita etiam animæ inducitur macula: vno modo per priuationem decoris gratiæ per peccatum mortale: alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale. Et hoc fit per peccatum veniale. Et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiæ: sed ad tollendam maculam venialis peccati, requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam remoueat inordinata adhæsiō ad rem temporalem.

## ARTIC. III.

*534*  
*sup. q. 65.*  
*a. 1. ad 6*  
*et 8. et 9.*  
*83. artic.*  
*3. ad 3.*  
*et 4 d. 16*  
*q. 2 ar. 2.*  
*q. 4. et d.*  
*17. qd. 3.*  
*a. 3. q. 3.*  
*et dis. 21.*  
*q. 2. art.*  
*1 et 2. et*  
*mal. q. 7.*  
*a. 12.*

*Vtrum venialia peccata remittantur per asper-  
sionem aquæ benedictæ, & cetera huiusmodi?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd venialia peccata non remittantur per aspersiōem aquæ benedictæ, & episcopalem benedictionem, & alia hu-  
ius.